Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA IVBILAEA SECVLARIS SOLENNIS

DE

MEDICORVM MERITIS IN AVGVSTANAM CONFESSIONEM

QVAM

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PVBLICE PROPONENT

PRAESES

D. MARTIN. GOTTHELFF LOESCHERVS

PHYS. PROF. PVBL. ORD. MED. EXTRAORD.
EIVSDEMQVE FACVLT. ASSESSOR

ET RESPONDENS

IOANN THEODOR. NICOLAI

VITEMB.

MED. CAND. ET PRACTICVS

AD D. XXX. IVNII ANN. SECVL. AVG. CONF. M DCC XXX.

IN AVDITORIO MAIORI.

VITEMBERGAE. LITERIS GERDESIANIS.



I. N. I.

DISSERTATIO MEDICA IVBILAEA SECVLARIS SOLENNIS.

I.



Anno praeſenti, qui nunc per diuinam gratiam agitur, exhibitae Auguſtanae Confesſionis Inuictisſimo Romanorum Imperatori Carolo Quinto, Iubilaei Secundi, quo inter pia quae facimus vota, precesque quas ad Sum-

mum Rerum Moderatorem fundimus, etiam ex Mandato Regio atque Electorali Serenissimo, solennitatibus Academicis uacamus, tanto animi nostri perfunduntur gaudio, ut fere laetitia diffluant, atque lacrymis non tristitiae, sed incredibilis hilaritatis testimoniis quasi profundantur. Nam quod ad me speciatim attinet, primus eram in hac Academia, id quod non absque intimiori cordis affectu laetabundus recordor, a quo publice in Solennitatibus Iubilaeis Philosophicis Magisterialibus et Secularibus more maiorum, etiam ante centum annos comprobato institutis, Omnipotentis Dei beneficia in nos collata, praedicare, eidemque pro istis deuotissimas agere gratias officii, quo tunc temporis persungebar ratio exigebat. Maxime uero animum meum erigebat atque mirifice recreabat, quod praesenti omni laetitia Iubilaea pleno anno seculari, mihi potissimum licebat solennia haec Philosophica Secularia et Iubilaea peragere, atque magno cum gaudio celebrare. Quarta in praesenti Seculo per diuinam gratiam facimus sacra iubilaea et secularia. Primo consummato Seculo praeterlapso post Christum natum decimo septimo, Summo Numini gratias agebamus deuotissimas,

mas, pro praeſtita Eccleſiae Chriſtianae per tot Secula ex alto diuina gratia, illudque ſupplicibus uenerabamur precibus, uellet ulterius rebus noſtris omnipotenter annuere, illasque dirigere in ſempiternam Nominis ſui gloriam. Secundo annis duobus elapſis Solennia incidebant Iubilaea Academica, in quibus DEO Ter Optimo Maximo pias decernebamus grates, pro per ducentos annos in florente ſtatu conſeruata Alma noſtra Matre, eiusdemque gratiae ac omnipotentiae eandem etiam in futuris temporibus humillime commendabamus. Tertio poſt quindecim annos anno nimirum milleſimo ſeptingenteſimo decimo ſeptimo, inchoatae reformationis a Diuo Luthero ſuſceptae cum magna gloriae, omnipotentiae ac gratiae diuinae praedicatione, ac adoratione deuotiſſima renouabamus memoriam. Atque hi dies Feſti, quemadmodum ad Vrbem noſtram & Academiam propius pertinebant; ita Prodromi erant, praeſentis, quod uniuerſam reſpicit repurgatam Eccleſiam, Iubilaei. Felicem itaque me, immo ter, quaterque felicem praedicabam, cui diuina auxiliante gratia non tantummodo tot gaudia Secularia uidere et pie celebrare licuit, uerum etiam tunc tem-

poris incumbebat Prologum Iubilaei totius Lutheranae Religionis, eiusdemque exhibitae Confeſſionis ſincerae et puriſſimae Auguſtanae agere, atque Promotionem Philoſophicam Magiſterialem Secularem pariter ac Iubilaeam ſuſcipere, ſuſceptamque ſub Tutela diuina peragere, et Oratione Solenni celebrare. Non poſſum quin haec omnia cum incredibili animi uoluptate in memoriam reuocem, dum in praeſenti ex Decreto Gratioſi Medicorum Ordinis, Diſſertatio Iubilaea Medica et Solennis eſt conſcribenda, cuius argumentum accommodatius et magis opportunum inuenire potui nullum, quam praeſens quod meditor de Medicorum in promouendam Auguſtanam Confeſſionem Meritis, de quo cum Commilitone Nobiliſſimo atque Clariſſimo, Medicinae Canditato et Practico digniſſimo publice diſſerere, atque ſententias conferre apud animum conſtitui. Faxit DEVS feliciter!

II.

De Medicorum meritis in Auguſtanam confeſſionem dicturi, neutiquam ſilentio praeterire debemus, Artem noſtram Salutarem ad

ad Cultum diuinum et religioſum ſuos cultores non uno modo inuitare. Medicus quippe Naturae miniſter, in Philoſophia Naturali non hoſpes ſit, omnino neceſſe eſt, ſed eandem intimius perſcrutetur, ut ſufficientem ſibi notitiam et Naturae humanae, quam in ſtatu ſano conſeruare, et naturae remediorum, quibus hominem aegrotantem in integrum reſtituere poteſt, ſibi acquirat. Vbi enim deſinit Phyſicus, ibi incipit Medicus, atque ſcientiam Naturalem, ad medicinam ſedulo, et magno cum fructu accommodat. Eo ipſo uero dum his rebus intentus eſt Medicus, minime Omnipotentis Naturae auctoris obliuiſcitur, ſed eundem pie ac deuotiſſime ueneratur. Mundum quippe uniuerſum ſi paulo attentiori animo conſiderat, multitudinemque et copiam corporum adeo inter ſe uariantium ex quibus conſtat, et quo pacto in eodem omnia diuino prorſus conſilio ſint conſtructa, adeo artificioſe inter ſe conſpirent, et diuino nutu adhuc hodie dirigantur, certe lapide durior cenſendus eſſet, niſi admirandis iſtis naturae ad adorationem et cognitionem Summi eorundem Conditoris commoueretur. Porro ſi ſpeciatim oculos uerſus coelum attollit, atque eiusdem lu-

ccm

cem ſuauiſſimam, et ſiderum innumerabilem copiam, ortus, obitus et curſus aſpicit, omnemque mundi ornatum et pulchritudinem perſpicit, ipſius tantorum operum factoris atque artificis Creatoris noſtri digitum ubiuis deprehendit. Maxime uero in coelo Solis egregium ſidus, prae aliis ſtellis eminet, atque radiis ſuis ſplendidiſſimis corruſcat. Exiſtunt igitur omnino in admirando Solis corpore varia, quae nos in admirationem ſui, et maxime ipſius conditoris abripiunt omnipotentis, inſignis magnitudo, ſplendor excellens, motus efficaciſſimus, perpetuus et conſtans, color vehementiſſimus et igneus, aliaque. Haec omnia veteres quibus uera Dei cognitio erat incognita magna cum admiratione obſeruauerant. Planetarum medius inquit PLINIVS Sol, fertur ampliſſima magnitudine et poteſtate, nec temporum modo terrarumque ſed ſiderum quoque caelique rector. Hunc mundi eſſe totius animam, ac plenius mentem, hunc principale naturae regimen ac numen credere decet, opera eius aeſtimantes. Id quod Ethnicum Plinii teſtimonium de praeſtantia ſolis rite emendatum legimus apud ECCLESIASTICVM: Sed lucem annuncians, ait ille, in ortu machina admirabilis,

lis, opus altiſſimi. Quum meridianus torret regiones, quis ardorem eius ferre poterit! Ter tanto magis montes exurit, quam qui fornacem ſufflat, accendendis operibus, uaporem igneum exhalat, atque ſplendor radiorum oculos perſtringit. Magnus Dominus, illius effector, cuius iuſſu iter ſuum accelerat. Hoc loco maxime oportuno, ſeſe offert uaſtiſſimum Regnum, uti a Phyſicis appellatur, variorum animantium et maiorum et minorum, quae in terra marique inueniuntur, atque partim nobis ipſis, partim uero ex relatione aliorum nobis nota et cognita ſunt, ex quorum ineffabili numero, uarietate, mirabili motu, uita, multiplicatione, aliisque circa illa occurrentibus circumſtantiis notatu digniſſimis, Maieſtas DEI Omnipotentis Creatoris ſatis ſuperque eluceſcit. Taceo breuitatis ſtudioſus arborum, fruticum, plantarum, florumque elegantiam, nitorem, fragrantiam, uarietatem et admirandam copiam, uegetationem, aliaque ſapientiam omnipotentis earundem auctoris mirifice manifeſtantia. Nec plura addo de Theſauris iſtis quae uel adhuc in gremio Terrae latent, uel cum grauiſſimo uitae periculo ab Metallifoſſoribus tanquam irritamenta malorum ex eadem

effodiuntur. Maiorem enim attentionem pariter ac admirationem merentur horrenda illa Irae diuinae inſtrumenta, quibus hominum impiorum ac maleferiatorum ſaeuitiam, malitiam, libidinem aliaque uitia punire ſolet, motus terrae innuo, turbines, procellas, diluuia et inundationes aquarum, grandines, fragmina nubium, fulmina aliaque coeli et atmoſphaerae incendia, quae ab hominibus ingenti cum ſtupore, uehementiſſimo terrore, atque deuotiſſima erga Maieſtatem diuinam ſubiectione et conſpiciuntur, et percipiuntur. Atque hoc pacto Dominum noſtrum Coeli et terrae, ex Creaturis ſuis naturaliter conſideratis facile poſſumus cognoſcere. Iam uero quoniam uti ſupra diximus, ubi deſinit Phyſicus, ibi incipit Medicus, ſi haec omnia corpora, et animalia, et Vegetabilia et Mineralia iuxta Artis noſtrae leges inueſtigamus et exploramus, deprehendimus mirificas et potentiſſimas medicandi uires ipſis ineſſe; et quidem animalia uel tota atque adhuc integra, uel quoad ſuas partes tum ſibi relictas, tum arte chymica et medica praeparatas, cedere nobis remedia; uegetabilia tot radices, folia, cortices, ligna, flores, ſemina, fructus, ſuccos, reſinas, gummata etc. praebere, quae

omnia

omnia iussu et consilio diuino in sanitatem hominis et conseruandam et recuperandam ex terrae superficie progerminant: et tandem intimiores terrae recessus potentissimas medicinas in maxime etiam contumacibus et rebellibus morbis usuales abscondere, ex quibus Medicus, uaria medicamenta nempe Tincturas, Essentias, Elixiria, olea, pulueres, Trochiscos, Pilulas, Salia, Emplastra etc. diuturniori experientia edoctus didicit, iisdemque diuina adiuuante gratia in Medicina facienda quotidie magno cum emolumento aeque ac solatio aegrotantium utitur.

III.

Pateret equidem mihi campus amplissimus de hac materia iucundissima maiestatem diuinam ex natura demonstrante ulterius disserendi, sed instituti mei ratio hoc in praesenti non permittit. A Macrocosmo itaque me confero ad Microcosmum, hominem scilicet ad Imaginem diuinam creatum, in quo certe nescio num eius nobilitatem, pulchritudinem corporis, proportionem partium eiusdem, uenustatem et fulgur oculorum, praestantiam sensationum, lin-

guae elocutionem, uultus elegantiam et mirabilem uarietatem, cerebri tenuiſſimam compagem, cordis machinam carnoſam et muſculoſam, eiusdemque motum perennem, uerum, perpetuum et optimum mobile naturale, utpote etiam noſtris adhuc temporibus a primo uitae momento, uſque ad ultimum eiusdem terminum, absque ulla intermisſione perdurantem, alimentorum longum ſatis canalem, aliaque elegantisſima quae per artem Anatomicam in hominis corpore deteguntur ac demonſtrantur, potius adducam, atque cum pio Rege Iſraelitarum Dauide exclamem; Laudo Te, quod ſtupendo modo et mirabiliter factus ſum, mirabilia opera tua, et anima mea hoc agnoſcit probe: an vero in ipſa anima immortalitatem, perfectionem ſpiritualem, Intellectum, uoluntatem, perceptionem, cogitationes, rationem, ingenium, affectus aliaque ſtupenda et nobis de mente notisſima commemorem. Talem excellentem et diuino penitus conſilio conſtructam machinam, qualis eſt homo etiam ratione corporis ſui tantummodo conſideratus, nemo hactenus conficere potuit, licet multi magno conatu illud praeſtare infelicisſimo tamen cum ſucceſſu auſi fuerint. Quo quidem loco notare con-

uenit

uenit REISELII ſtatuam humanam circulatoriam, qua ad humani corporis effigiem mechanice, eiusque uaſorum et uiſcerum ſtructuram et magnitudinem conſtructa, uarias actiones hominis repraeſentare alloborauit, quam ipſe in Ephemeridibus Germanorum delineauit. Non ignotum quoque eſt Sceleton Syluianum, in quo Venae, Arteriae, Neruique per filamenta ferrea et aenea cum ualuulis ſuis oſtenduntur. Apud ueteres ſcriptores multa poſteritati relicta legimus de ſtatua Memnonis, Thebis apud Aegyptios in delubro Serapidis collocata, utpote quae ſua ſponte, cum mane radiis ſolis tangeretur, ſonum emittebat ſuauisſimum, et aliquid lacrymabile ueſperi ſub ſolis occaſum proferebat, ac ſi ad eius aduentum laetaretur, et ad diſceſſum triſtaretur. Narrat etiam KIRCHERVS *in Oedipo Aegyptiaco* illam aliquando uoce humana locutam fuiſſe, id quod tamen ipſe non per artem naturalem et licitam factum fuiſſe, ſed diabolicam affeuerare non dubitat. Illum ipſum atque Albertum Magnum dicuntur confeciſſe caput quod loqui potuit, cuius ſtructuram et conficiendi modum expoſuit SCHOTTVS *Magia naturali.* Silentio ac lubentes praeterimus illas Machinas, quas hodie ex princi-

piis Mechanicis ét Muſicis exſtruere norunt artifices. Curioſum tamen eſt quod in Deſcriptione noua urbis Pariſienſis gallico Idiomate exarata relatum legimus, exiſtere ibidem artificem, qui non ſolum totam hominis Machinam eiusdemque interiora, eleganter atque ad uiuum materia quadam ceracea expresſit, atque curioſis peregrinantibus oſtendit, uti ſatis notum eſt; uerum etiam promiſit, ſe breui paraturum talem ceream humanam Machinam ita canalibus inſtructam, ut ſanguinis in homine circulationem accuratisſime ob oculos ponere queat. Id quod num reuera praeſtiterit, nondum ad aures noſtras peruenit, interim facile intelligimus huius in farinae Machinis deſiderari uitam et Eſſentiam hominis.

IV.

Ita Medicus dum hominem in ſtatu naturali contemplatur, ubique Maieſtatem diuinam Summi eiusdem conditoris deprehendit, multaque quotidie argumenta inuenit, quae ipſum ad ſui auctoris cultum religioſum ac deuotisſimum impellere debent ac poſſunt. Multo magis uero opificia diuina adoranda obſeruabit, in Pra-

xi Medica ad lectos aegrotantium accedens, ibidem enim multa teſtimonia miſericordiae, omnipotentiae et Iuſtitiae diuinae inueniet. Miſericordiam diuinam admirabitur, quando aegrotantibus grauisſimis cruciatibus afflictis, et miſerrime laborantibus, medicinam propinabit, ipſis adiuuante diuino auxilio ſaepius ad ſtuporem leuamen et ſolatium conciliantem. Omnipotentia uero diuina luculenter apparet, in iis qui morbo magno et acuto, cum grauisſimo uitae periculo laborant, ubi experientia docet, unum uel alterum remedium a Medico prudenti cum circumſpectione datum, ipſos e mortis faucibus celerrime quaſi eripuiſſe. Iuſtitiae denique diuinae monumenta euidentisſima, ſunt peſtilentia, omneſque morbi contagioſi et maligni, qui et aegrotos uehementisſime uexant, omnem medicamentorum uirtutem reſpuunt, ipſosque cum grauiſſimis ſymptomatibus interficiunt. Optarem ex animo ut tunc cubili morientium pariter ac morti proximorum adſtarent quidam increduli, qui mundo adhaerent et ſacra negligunt, neque mortem et infernum perhorreſcere curis et domeſticis et ciuilibus obruti uidentur. Videbunt quid ualeant morſus conſcientiae, et tentamina Satanae, quantas

anxie-

anxietates, quantaque tormina crudeliſſima exinde percipiant miſeri, quippe talia neutiquam pro deliramentis uti quidem uulgo fieri ſolet ſunt habenda. At enim uero gratia diuina et operatio Spiritus Sancti euidentiſſime quoque et ſaepius in tali ſtatu morboſo et periculoſo eſt conſpicua, quando poſt uexationem et anxietates manifeſtiſſimum ſolatium et mitigationem dolorum ſentiunt, et licet moriantur magno tamen cum gaudio, nihil morboſi et letalitatis percipientes et quaſi tripudiantes prae deſiderio DEVM immortalem uidendi, uitam cum morte commutant.

V.

Quae cum ita ſe habeant, facile apparere exiſtimamus, Artem Medicam eiusdemque cultores a Theologia, Religione et rebus ſacris neutiquam eſſe alienos, ut potius amice cum iisdem conſpirent. Quapropter ut ad propoſitum ueniamus, merito Medicorum ipſorum in Auguſtanam Confeſſionem utpote Summam uerae et repurgatae religionis, prouti equidem fieri potuerit, breuiter perluſtrabimus. Quoniam uero fundatio Academiae Vitembergenſis

ſis fundamenta jecit Reformationis ibidem a Beato Luthero inſtitutae, ex qua Auguſtana Confeſſio ortum ſuum duxit, merita Polichiana hanc in rem primo loco adducimus. MARTINVS adeoque POLICHIVS de Mellerſtad, artium et Medicinae Doctor, primus Academiae Vitembergenſis Rector, eiusdem commendatione et perſuaſione a Friderico III. fundatae. Quum enim referente ANDREA SENNERTO, *Athen. Vitemb.* in Comitiis Wormatienſibus, Anno MLCCCXCV. Imperatore Romanorum, Maximiliano I. communibus ſuffragiis decretum fuiſſet, ut quisque Electorum Academiam in ſuo Electoratu conſtitueret, Elector Septemuir Saxoniae reuerſus domum, cum ſuis de loco eidem in ſuo territorio aſſignando deliberare incepit. Nominatis itaque ab aliis aliisque locis oppidisque aliis, modo laudatus Polichius Mellerſtadius, Francus, Medicus nec non Comes quondam Electoris in Itinere ſacro Wittebergam nominauit. Subridente primum Electore conſilium Viri Sapientis, quod tantae rei domicilium minus forte eidem uideretur Witteberga; reſpondiſſe fertur Mellerſtadius, non ſine quadam indignatione: Cur DEO diffidis Princeps Elector Clementiſſime,

C certe

certe huic prouinciae et Ciuitati gratitudinis ergo cuiusdam beneficium hoc debes, cum quibus utpote Maiores Tui Electoratus dignitatem consecuti sunt. Haecque in hoc splendido minime loco condita Academia alias quondam, scias omnes Germaniae luce sua obscurabit. Tum ad haec Princeps Elector: ratum ergo faxit DEVS omen hoc: assentior: sit locus Academiae Witteberga. Ex quo factum etiam, ut primus ipse Academiae fundatae nouiter a Sapientissimo Principe Electore Rector nominaretur, fieretque. Fortassis Polichius iam suo tempore salubritatem aëris nostri, si coniecturae locus est, cognouit atque ideo inter alias caussas hunc locum maxime bonis literis ac studiis consecrandum esse iudicauit: Namque dissimulare neutiquam possumus, Vrbem nostram prae aliis ciuitatibus et locis aëre saluberrimo gaudere, propter accessionem aëris liberiorem ab ortu in occasum, puritatem aquarum, delicitatem, et alias rationes de quibus alibi copiosius uerba fecimus. Plura de Polichio notatu dignissima commemorat ANDREAS SCHATO Artis Medicae in hac Academia Doctor et Professor Publicus celeberrimus Oratione Seculari in Iubilaeo Academico Primo no-

mine

mine Collegii Medici habita. Vt autem me-„ moria, inquit, ibidem meritorum eius Viri, er-„ ga naſcentem primum deinde adoleſcentem „ Academiam ad poſteros extaret, primus eius„ Rector conſtitutus fuit, principemque in hac„ locum quoad uixit, obtinuit. Primus etiam„ Mellerſtadius fuit, cui Doctoris in Theo-„ logia Titulus, et inſignia hic ſunt tributa.„ Non longe ab inaugurationis Academiae tem-„ pore, a Martino Mellerſtadio Bernhardus„ Schiller in Doctorem Medicinae promotus„ eſt, factus poſtea Ordinarius Medicinae Pro-„ feſſor in Friburgenſi Brisgoiae Gymnaſio.„ Sicut autem Mellerſtadius noſter quamdiu ui-„ xit in hac Academia, ei labores et operas ſuas„ impendit ſuas uniuerſas: ita poſt mortem facul-„ tatum quoque eius pars magna ad eandem re-„ diit. Nam Frater Valentinus Polichius ut gra-„ ta Martini memoria apud nos retineretur, facto„ teſtamento, mille aureos, quorum pars maxima„ haereditate ipſi a Fratre uenerat, hic collocari„ iuſſit, de quorum fructibus annuis, ſubſidia fe-„ rantur adoleſcentibus ex Polichiorum familia,„ aut aliis etiam, qui ſtudiorum cauſa in hac Aca-„ demia uerſantur.„ Quo beneficio adhuc hodie Polichii ſuperſtites, aliique eorum neceſſarii fruuntur, atque adeo iſtud ultra ducentos et

 quod

quod excurrit annos fideliter ab Academia continuatum et administratum fuit. Quod etiam Luthero addictissimus fuerit, patet ex eius, de eodem iudicio, quod refert Bismarcus in Vita Polichii, et ex hoc B. D. WERNSDORFFIVS *Disputatione de Historia Augustanae Confessionis.* Nam cum Polichius, Lutherum subinde audiret Scholasticorum oppugnare doctrinam, Sacrasque literas omnibus Thomae, Scoti, Alberti aliorumque commentis et subtilitatibus anteponere, conuersus ad suos dixit: Der Münch wird alle Doctores irre machen / und eine neue Lehre auffbringen / und die gantze Römische Kirche reformiren.

VI.

Rectorem Primum Academiae Wittebergensis, excipit Rector eiusdem Anno primo Seculari Augustanae Confessionis exhibitae AMBROSIVS RHODIVS Kembergensis, Phil. et Med. D. et Mathemat. Super. Professor Publicus, quo Rectore uti legimus apud Sennertum l. c. Solennitas Iubilaea, ob exhibitam ante hos centum annos Carolo V. Imperat. Confessionem Augustanam celebrata est. Constat uero inter omnes, quod hae Solennitates ipso Pro-

motore

motore et adiutore ſe omnibus bonis, et dicto et noſtro tempore ſummopere commendauerint. Eius etiam Zelus et ardor in promouendis hiſce feſtiuis Iubilaeis diebus ex Intimatione Academica in memoriam Secularem exhibitae Auguſtanae Confeſſionis ſatis ſuperque elucet. Vbi inter alia potisſimum ſequentia uerba ſumme memorabilia ſunt: Dominus et Nutricius noſter Clementiſſimus Solennem ac triduanam feſtiuitatem, qua ipſe centeſimus religionis noſtrae profeſſae in Auguſtanis Comitiis, publiceque aſſertae natalis celebraretur, inſtituendam ac peragendam ſubditis ſuis uniuerſis indixit atque praeſcripſit. Non ut inanibus Spectaculis ac pompis, quae momentanea uoluptate delectant, et ſimul ſubductae oculis ſunt, euaneſcere ſolent, otioſi et feriati homines detinerentur, uerum ut Deo immortali, pro ineffabili bonitate in genus humanum et illis nullius unquam uoce ſatis depraedicandis beneficiis, quae in nos hactenus uberrime, qua reuelando, qua tuendo ac conſeruando ueritatem contulit, debitae laudes ac gratiae publice redderentur. Neque enim ulla alia re ad beneuolentiam inuitare Deum magis poſſumus, quam ſi agnoſcamus, ſumma eius in nos beneficia, gratiasque agamus pura mente: quod efficaciſſimum rogandi genus ſemper fuit.

VII.

Ambrosio Rhodio addimus eiusdem Collegam coniunctissimum DANIELEM SENNERTVM Medicinae Doctorem, Facultatis Medicae Seniorem, Serenissimi Electoris Saxoniae Medicum Primarium, de cuius opera pariter atque curá in adornandis, praeparandis illustrandis et celebrandis Solennitatibus Iubilaeis nulli dubitamus, utpote qui Rhodii in Rectoratu erat antecessor et Facultatis suae Senior.

VIII.

Neque prorsus reticere debemus NYMANNVM et PELZHOFERVM etiam Medicos Collegii Wittebergensis celeberrimos. Ex quibus GREGORIVS NYMANNVS Wittebergensis circa annum Secularem edidit elegantem dissertationem de Vita foetus in utero. IOHANNES GEORGIVS PELZHOFERVS Graecio Styrius Facultatis Medicae tunc Decanus, ipso Anno Seculari duos creauit Medicinae Doctores. Vterque interim procul dubio nihil praetermisit, quod ad promouendum et illustrandum splendorem et solennitatem huius Iubilaei poterat pertinere.

IX.

Eodem Anno Seculari et Iubilaeo IOHANNES HENRICVS HEINZIVS Philos. et Med. Doct. et p. t. Procancellarius, Lipsiae Orationem Iubilaeam Mense Iunii habuit, atque M. Iohanni Michaelis Susutensi Westphalo Artis Medicae Baccalaureo Gradum Doctoratus auctoritate publica tribuit. Atque hac occasione in Programmate Inuitatorio ad hunc Actum edito, quanti fecerit Augustanam Confessionem sequentibus uerbis optime expressit: quarum Solenni-„

tatum „

tatum Academicarum Iubilaearum, initium bono cum„ DEO factum eſt die Lunae, ubi Templum Academi-„ cum non ſine ſtupore audiuit Diuinum Oratorem et„ Poetam egregium, qui DEI OPT. MAX. in ador-„ nando benigne Auguſtanae Confeſſionis opere cle-„ mentiam, in propugnando mirabiliter ſapientiam, ac„ in conſeruando fortiter potentiam ſummam deprae-„ dicarunt. Collegium quoque Principum maius au-„ ctoritatem Auguſtanae Confeſſionis, contra Roma-„ nenſium ſophiſticationes, in publico diſputationis„ Actu, maſcule aſſertam uidit.„

X.

Caeterum non dubitamus, Medicos quoque aliarum Academiarum et Ciuitatum Auguſtanam Confeſſionem eiusdemque ſacra ſolennia Iubilea cum applauſu excepiſſe, atque in huius rei teſtimonium adducimus duo Carmina Coburgenſia.

Viro Reuerenda dignitate, eximiam uerae pietatis ac eruditionis laude clariſſimo, DN. M. PHILIPPO ESCHENBACH, Eccleſiae Patriae Diacono meritiſſimo, Dn. et Amico ſuo plurimum honorando et amando; Feſtum Auguſtanae Confeſſionis Iubilaeum, uena Poetica celebranti, hiſce breuibus ac extemporaneis bono animo gratulabundus applaudit.

Sancta Lutherani quod cantas iubila Feſti,
ESCHBACHI, O patrii magne Propheta ſoli!
Auguſtos fidei purae tua uena per orbem
Quod Confeſſores ſplendida concelebrat;
Rem facis officio dignam, quam gloria Chriſti,
Et tua quam uirtus, uenaque ſacra iubet.
Perge; Procelloſis Eccleſia fluctuet undis;
Archonauta tamen Chriſtus in hac uigilat.

In-

Inflammet Pelagus Papa, Cerberus ipse minetur
Exilium, extremum fulminet exitium
Fulminet, excruciet, perimat, comburat, inundet
Augustos sanae Christicolas fidei;
Stant inuicta tamen diuini Numina uerbi,
Queis immota manet cymbula Sancta Dei.

Valentinus Rumpelius, Phil. et Med. D.
Aulae Saxo C)burg. Med. d. 30. Nouembr. Anno quo

VIVIT DoMInVs noster IesVs ChrIstVs.
Quod, perdocte, piis, ESCHENBACHERE, celebras
Carminibus sacra dona Dei, sacra munera, nostri;
Munera nempe sui purissima dogmata verbi
Saxonibus prae aliis olim data, iamque per annos
Centum conseruata, licet fremat orbis et orcus:
Quippe Ministerio diui prolata Lutheri.
O factum hoc ardens, condignum laude perenni
Omnes, Augustana quibus Confessio cordi est,
Quidni pectore et ore, et tota mente sequemur?
Grati, Ioua, Tibi, ter Maxime et Optime semper
Dicamus laudes, et iubila iusta canamus,
Atque ita praeconum nostrorum uota sequamur;
Vota piis precibus iungentes iubila uotis:
Vt Deus et serae hoc condonet posteritati,
Quo tandem salui JOVAM celebremus in aeuum.
Anno Christi 1630.

ECCLesIa LVtherana CeLebrat AVgVstanae ConfessIonIs
IVbILeVM.
AnnVs en est IVbILeVS DItIonIs LVtheranorum.
Michael Schönius D. Medicus Aulicus Coburg.

Atque haec sunt Lector Beneuole, quae festinante calamo, et inter concatenata negotia, in propositam materiam commentari propter temporis penuriam breuiter potuimus, quae omnia, ut aequi bonique consulas enixe rogamus atque contendimus.